



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum Theologis ac præcipuè Societatis Jesu

Estrix, Aegidius

Moguntiaë, 1679

Propositio XXXIV. Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42472

cum ibi ex communi Sententiâ de licitâ defensione bonorum temporalium cum occisione aggressoris injusti, inferat tria corollaria, cumque in primo & secundo corollario exprimat, licere defensionem cum occisione, in tertio infert quidem, licere defendere jus inchoatum, tacet verò de defensione occisiva, cavens, ut opinor, ne tantam *juris* defensionem videretur permittere, quantam *rei* possesse. Neque contrarium convincit illatio: ut si ex eo, quod liceat defendere mille aureos occidendo invasorem, inferam, licere uti defensione, & vim adhibere contra invasorem unius solidi: Sicut enim solidus suâ vitalitate facit, ut intelligam illationem de defensione quadam repulsivâ invasoris, sed inferiori, quam sit occisiva, sic & jus seu spes, tantò vilior, quam res.

PROPOSITIO XXXIV.

*L*icet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

Hic citat quemdam Jesuitam. Quod est nomen illi Jesuitæ? nescit. Unde habet fuisse Jesuitam saltem innominatum, cujus hæc esset sententia? à Dianâ p. 6. tract. 8. Res. 37. unde accepit Diana? à quodam viro nobili. A quo habebat ille vir nobilis? eratne amicus

Jesuitis, ut hic noster accusator? eratne saltem doctrinâ aut ingenio satis idoneus, ut aptè hæc referret? de his tacet Diana. Apparet ergo futilitas accusationis.

Contingit etiam diligentibus scriptoribus, ut aliquo errore labantur alicui perperam tribuentes doctrinam quampiam: contigit istud Dianæ hoc ipso loco, ubi doctrinam Propositionis damnatæ adscribit Bordonio in Confil. Regul. res. 45. q. 4. n. 4. in fine. At ibi Bordonus ad quæstionem; *An pro conservando honore seu vitâ puella; vel pro conservatione vitæ mulieris, possit procurari abortus, &c.* Respondendo, inquit, *neutrum licitè fieri potest.* Credo hæc Dianam intellexisse de abortu foetus animati; neque id sine fundamento. Sed neque in fine responsionis Bordonus aliud docuit de abortu foetus inanimati: litterula perperam posita à Typotheta decepit Dianam. Patet locum inspicienti sic legendum esse: *Quod si foetus sit inanimatus, non esse peccatum docent plerique*: ipse ibi nihil definivit; cum ad suum propositum id non faceret. Multo facilius, quam Diana, decipi potuit ille vir nobilis testis ex auditu & Theologiæ imperitus. Sed tamen ille Jesuita innominatus, tam infirmo fundamento fuit accusandus; cum & à Diana illo loco, & ab aliis nominentur non pauci vel autores, vel fautores doctrinæ, saltem

ut probabilis, quorum libri adiri poterunt. Manu ipsa tangitur invidia in toto hoc negotio, non perambulante in tenebris, sed dæmonii cuiusdam meridiani; à quo mirum est potuisse imponi tam multis; omnium verò miserimè delusus est hic Accusator: neque enim de suo prompsit ea, quæ accepimus.

PROPOSITIO XXXV.

Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere animâ rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

Hanc propositionem tribuit Caramueli, quem ex speciali, ut fas est credere, benevolentia erga Religiosos Cistercienses monasterii Dunensis propè Brugas in Flandriâ, appellat religiosum Dunensem. Potuisset majori ratione appellare Doctorem Lovaniensem, atque etiam Satrianensem, ac Campensium Episcopum.

Sed verò Caramuel damnatæ propositionis non est autor: neque apud illum invenies, unde hoc venire cuipiam in mentem possit, præter hæc verba in Theol. fund. n. 1163. alias 1623. *Profecto si Doctori Marco subscribamus (Proto medico Pragensi) dicamusque omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere animâ*